

idem situm est hospitale, et omnibus superius predistinctis recipientes sub protectione ac defensione nostri culminis spetiali, confirmamus ea omnia hospitali iam dicto et presentis divalis pagine patrocinio communimus, universis et singulis imperii fidelibus sub pena gratie nostre et centum marcarum argenti firmiter iniugentes, quatinus nullus sit, qui dictum hospitale, magistrum et fratres ibidem domino famulantes contra presentem protectionem, defensionem ac confirmationem nostram super premissis omnibus impedire seu ausu temerario perturbare presumat. Quod qui presumpserit, preter indignationem nostram pretaxatam centum marcarum penam se noverit incursum, medietatem camere nostre, reliquas passis iniuriam persolvendam. Ad cuius rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et sigillo celsitudinis nostre iussimus communiri anno, 10 mense et indictione subscriptis. Datum Reate anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense iulii, septime indictionis.

(SD.)

511.

Kaiser Friedrich II. nimmt den Otto von Lüneburg zu vollen Gnaden an und unterwirft seinen Streit mit demselben über das Erbgut Herzog Heinrichs, dessen Oheims, der schiedrichterlichen Entscheidung des Landgrafen von Thüringen und anderer Fürsten. Monte Fiascone, 1234 Sept.

Hdschr.: Or. Perg., welches sich im Schlosse zu Braunschweig befand, im Jahre 1830 verloren gegangen.

Gedr.: Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II. IV. 1,487 (nach Scheid, Or. Guelf. 4,141 ex autographo). Böhmert-Ficker 2056.

20

Fridericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum pateat omnibus imperii fidelibus, quod nos ad supplices dilectorum principum nostrorum instantias inclinati, quorum magna pars celsitudini nostre sepius attentius supplicavit et ad ultimum dilectum fidelem nostrum Albertum de Arnstein ad presentiam nostram in Italiam destinarunt, supplices magnificentie nostre per eum preces offerentes, ut Ottonem de Luneburch fidelem nostrum in plenitudinem gratie nostre assumere dignaremur, de innata serenitati nostre clementia precibus eorum grato assensu occurrentes, cum zeli nostri maxime fervor exestuet, ut subiecti nobis populi per latitudinem imperii pacis gaudeant ubertate, quidquid inter altitudinem nostram et prefatum O[tt]onem] de patrimonio et proprietatibus Henrici ducis patris sui, que a primogenita filia sua comparuimus, uxore marchionis de Baden, dissidii vertitur vel rancoris, ad arbitrium dilectorum principum nostrorum patriarche Aquilegiensis vel fratris sui episcopi Babenbergensis, regis Boemie, landgravii Thuringie, alterius marchionum de Brandeburch, A[lberti] vel G[e]hardi] de Arnstein duximus referendum, committentes eorum fidei, ut de prescripta questione inter excellentiam nostram et eundem O[tt]onem] de plenitudine potestatis eis per nos collate taliter ordinent et componant, sicut utriusque